DE
HALLUCINATIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM
ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

PRO

GRADU DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDO

DIE VI. MENSIS MARTII A. MDCCCXLVII

HORA XI.

PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

CAROLUS TOBIAS

TREVIR.

OPPONENTIBUS:

PETR. KRAUSSEN, MED. ET CHIR. DD.
GUST. BECK, MED. ET CHIR. CAND.
GOD. BRAM, IUR. CAND.

BONNAE,

LITTERIS GEORGIANIS.

MDCCCXLVII.

Prooemium.

Ad accurate perspiciendos animi morbos remotasque caussas eorum cognoscendas principalium perturbationum, quae hominem afficiunt, praemittatur explicatio, necesse esse nemo non intelligit. Quae quamvis per se et nondum ad eum impetum prolapsae, ut cogitationibus,quae occupatum tenent animum, strenue ac bono cum successu iam non repellantur ac superentur, non semper efficiant mentis morbum, attamen non raro caussam originemque et aegritudinis cardinem ab iis esse petenda vix est cur ambigatur. Profecto igitur haud spernendi est momenti penitus eas indagare, ad diversas quibus apparent species et rationes definire et iudicare, denique explorare earum gradus, vehementiam, tempusque quo perdurent, ut animo perspicue obversentur fines inter afflictam mentem et sanam.

Perturbatae autem affectionis formae principales cum pertineant aut 1) ad corporis motus, aut 2) ad sensus, aut 3) ad ingenium sive intellectum, quaeritur quo in loco ponendae sint hallucinationes, de quibus exponere mihi nunc propositum est. Eae tamquam usitatissima ac gravissima aberratio in sensuum tantummodo perturbationum numero vulgo exhibentur, quamquam, si quid video, potius locum obtinent inter perturbationes ad sensum pertinentes et ad intelligendum, vel nunc pertinent ad nil nisi sentiendum, nunc ad sentiendum simul et intelligendum, nunc ad solum intelligendum, prout sedes earum modo in sensuum nervis, modo potissimum in cerebro, modo in utrisque partibus exstat. Hallucinatio-

nes cum ideis fixis aequo gradu grassantur, utraeque invicem se adiuvant ac supplent, aliae progignuntur ex aliis. Quarum sedes si non ipso in cerebro collocabitur, quomodo hallucinationes, praecipue ad intelligendum spectantes, fixas ideas prae ceteris vivas, quae propter singularem, qua aegrotum invadunt, vim res externas, ad quas respiciunt, procrearunt, iure vereque appellare possis?

Satis crebro hallucinationes sub notione communi sensuum fallaciarum colliguntur, vel etiam cum iis permutantur, qua de re optime Zeller *) et recte monet, „vocem *sensuum fallaciae*, si de hallucinationibus sermo sit, veram rem per se minus complecti,“ et ita quidem disputationem continuans: „nunquam cerebri ipsius perturbationes non sunt (hallucinationes), quarum effectus extrorsum proiiciuntur, aegroto veritatem sui semper comprobantes, nec non acutissimum ingenium ad pravissimas opiniones brevi temporis spatio perducentes, cerebro ex morbi impetu nondum ita recreato, ut pro animi affectionis imaginibus a convalescente habeantur, et mira sua vi atque aegroto maxime perniciosa destituantur.“

*) Zeitschrift für Psychiatrie und psychisch-gerichtliche Medicin, herausgegeben von Damerow, Flemming und Roller. Berlin 1844. Tom. I. fasc. 1. pag. 41.

Caput I.

Sed ab initio ordiamur. Primus qui „*hallucinationis*“ significationem explanare conatus est, fuit Arnold [1]), cuius vestigia pressit Al. Crichton [2]), mox Ferriar [3]), Hibbert [4]), *alii*, certiorem autem eiusdem vocis conformare notionem voluit Esquirol [5]), qui huiusmodi explicationem perhibuit: „*Hallucination* est une sensation perçue alors que nul objet extérieur propre à l'exécuter n' est à portée des organes des sens.“ *Idem* alio libri sui, qui est de animi affectionibus, loco, in ea parte, ubi de hallucinationibus agitur, duo praeterea aegritudinem eam describendi conamina in medium proponit, quae tamen verborum elegantia magis quam accurata rei explicatione excellunt.

Quibus expositis definire iam conabor, quid ipsi mihi statuendum videatur de hallucinatione. Est ea cerebri simul et sensuum actio abnormis, qua cogitationes ex nostro animo profectae extrorsumque proiectae rebus externis ita accom-

---

1) Arnold, Observations on the nature, kinds, causes and prevention of insanity. London 1798.

2) Al. Crichton, An inquiry into the nature and origin of mental derangement. London 1798.

3) John Ferriar, An essay towards a theory of apparitions. London 1813. pag. 95.

4) Sam. Hibbert, Sketches of the philosophy of apparitions. London 1825.

5) Esquirol, Maladies mentales. Bruxelles 1838. tom. I. p. 80.

modantur, ut originem ab his duxisse cogitationes illas persuasum sibi habere videantur qui eo malo constricti tenentur. — Ecce *exemplum*. „Homo melancholia laborans cerebrique hallucinationibus vexatus Esquirol, cum in errore eum versari comprobare hic studeret, „num tu interdum cogitas,“ opposuit quaestionem; cui cum responsum dedisset medicus, non esse cur ea de re dubitaret, rursus ita aegrotus: „recte tu ut minus auribus percipiatur illud instituis, sed mea cogitandi ratio omnibus aperta.“

Adiungemus alterum. Iuvenis quidam altercationibus a femina digressus, ut eam sibi reconciliaret, magnopere tentavit, et cum iter suscepisset ad eius domum, duos homines asseruit a se visos se prosequentes, qui continuo clamarent aut „continget“ aut „non continget [6]).“

Aliud exemplum adolescentis cuiusdam hallucinatione decepti ipse comperi. Is accepto nuntio aviam morte abreptam esse, ad locum quo degerat ea exequiis ut interesset, contendit ibique fatigatus in lectulum se prostravit. Somno cum postridie mane excussus per thalamum oculis vagaretur, subito aviam conspicari super arcam sibi visus est inclinatam, quasi rem aliquam diligentissime investigantem. Alloquenti eam cum non respondisset, e lectulo ut eam apprehenderet, desiluit; sed appropinquantis vestigia fugiens et fores assecuta nusquam iam apparebat imago.

Eidem rei clarius indicandae narratio inserviet quae sequitur. Noël, a prima aetate corpore praeditus maxime nervoso ac sensibilitate singulariter adaucta prae ceteris eminente, cum septem annos natus libros sacros veteris et novi Testamenti perlegere incepisset atque per longum tempus ad hoc studium incumbere pergeret, eo brevi progressus est ut, cur ecclesiae de illis rebus sententiae assentiretur, non videret; nonnullis annis post morositate animi ac tali tristitia infectus est, ut ceterorum hominum effugeret societatem mi-

6) Leuret, Fragmens psychologiques sur la folie. Paris 1834. pag. 209.

rificisque eiusmodi animus vexaretur cogitationibus maxime diversis, ut nunc hoc, nunc aliud ante animum versaretur illorum, quae memoriae inhaeserant monstra ex sacra sua lectione; quin etiam fere semper omnium, quae a creatore profectae sunt, animantium terribilis ululatus auribus vehementissime resonabat (Epist. *Pauli* ad *Romanos* cap. VIII). Vita ei erat fastidio, nil in legendo habebat iucunditatis, et mortem sibi scivisset ipse, nisi nimia erga Deum pietate fuisset repletus. Qui melancholia circiter viginti menses captus in Iansenistarum ordinem ingressus est eique octo fere menses interfuit; deinde idem in Trappistarum, quae dicitur, congregationem ut exciperetur periculum fecit; sed cum audisset, qua ratione ab his nigri tractarentur, abhorrens a negotiatione servorum, ad Senegalem se contulit, ubi commoratus est septem annos, magis magisque de rebus arcanis meditationibus indulgens. Non raro litteris ad suos scriptis, intus vocem exstare aperuit, carne et sanguine haud cognoscendam, quae tamen, ut solitudines peteret, maximopere se cogeret, ut humani generis salutem ibi curaret. „Ter quaterque his quindecim annis coeli illa vox ut hominum devitarem ceterorum usum ac societatem me impulit, ne contaminarer pernicioso quod in iis grassatur contagio.“ Saepius Dei voluntatem auribus excepit Noël, nihilque nisi ab illo mandatum in rebus eius gestis cognoveris — cet. [7])

Magnum hallucinationem inter et illusionem intercedere discrimen primus docuit Esquirol. Hallucinationes ipsius animi sunt perceptiones ad externas res propagatae eoque veritatis speciem prae se ferentes. Hallucinaris, ut exemplo utar, homines conspicans, ubi re vera non exstant, aut sonitum auribus percipiens, cuius extra omnino nulla investigatur caussa, aut cum subito ictum aliquem in humeros acceptum sensisse tibi persuasum habeas, nemine, unde hic profectus,

---

7) Cazauvielh, Du suicide et de l'aliénation mentale dans les campagnes, pag. 166.

assistente. — Nec tamen in eodem genere ponendum illud est, cum verbi caussa nubem pro cane, hominem plane alienum pro cognito vel amico habueris: quippe haec magis ad illusionem, quam dicunt, pertinent. Nulla omnino res externa respondet hallucinationibus, ne caussa quidem, unde profectae sunt, affinitate earum praedita: contra de illusionibus haec potius accipienda sententia, falsa esse iudicia pravasque conclusiones aut eiusmodi interpretationes rei extrinsecus *exstantis*, quae in sensus vim exercuerit, et tum demum locum eas tenere admittendum, si res vere adspecta vel audita quaeque ab iis deducta est perceptio, inter se discrepare inveniuntur.

Qua de re ut clarius constet, aliud exemplum, in morotrophio Trevirensi a me observatum, hoc loco quod memoraretur haud indignum visum est. — A. Austen, Gedani in lucem editus, septendecim annos natus, quaestum sutrino opificio ut sibi compararet, patriam reliquit. Germaniae Helvetiaeque regionibus peragratis in Franco - Galliam cursum direxit, ubi in tumultu Calendis Maiis anni 1839 Parisiis exorto vulneratus et cruentae seditionis particeps in vincula coniectus est. Caussa a iudicibus quaesita, ut ob id facinus in quindecim annos catenis aut exsilio traderetur, damnatus est. Temporis fere unius anni spatio interiecto, quod in carcere Parisino videtur transegisse, saepius ita affectum fuisse constat, ut semel matris suae ac sororis vocem audisse nec non totidem fratris eundem casum se expertum esse persuasum sibi haberet, ut ipsis animi sui cogitationibus saepius tamquam se alloquentibus excitaretur; quin etiam inter inquisitionem a magistratu in stitutam supra Pasquierii caput subito matris vocem percepisse sibi visus est; matris et sororis quoque, cuius exploratam habebat mortem, alloquium etiam proximis temporibus audivisse eum atque die noctuque hac imagine esse vexatum, nemo eorum qui adfuerunt infitiatus est. Dicunt porro, aliam ei in templo, cui locus est in monte qui appellatur St. Michel, quo ex castello

Luciliburgensi erat deductus, accidisse rem maxime horridam: quippe Salvatorem cruci ibi affixum oculis contemplanti sibi aliquoties capite adnutavisse exploratum habebat. Quantus deinde ille fuerit terror, quo continuo perculsus est, nova deceptus imagine, esse amicum eiusdem cum ipso facinoris accusatum, quem ligno affixum conspiciebat, facile est intellectu, nec quisquam mirabitur, si *Austenum* summo horrore stimulatum praecipiti cursu ex eo loco fugisse cognoverit. Adeo rem illam, qua captivos cruci ad supplicium tradi pro certo habebat, vim in eum exercuisse ferunt, ut cultro corpus incidere tentaverit. Non ita multo post libertate condonatus, a magistratu tamen non dimissus est, sed custodi traditus Pontorsoniam oppidulum vicinum deportatus est, quo illectus est eo praetextu, matronae cuidam calceos esse faciendos, atque in delirorum quae ibi erat domum translatus. Qua in urbe quinque annos vixisse aegrotum hac opinione fama est, dirigentis munere se fungi annuoque duorum milium francorum salario redonari debere, nisi medici, qui tum domum moderabatur, turpissimis machinationibus pravaque fraude esset deceptus; quare nunquam eius arbitrio filiam ut in matrimonium duceret se obsecuturum. Austen, postquam quinque Pontorsoniae annos versatus est, publicorum custodum comitatu, tota fere Gallia ex transverso peragrata, in regni fines deportatus et incertae sorti traditus est; quare ut certiores de eo fierent magistratus, undique explorari de eius origine iusserunt. Nequaquam persuasum habuisse delirorum moderatores, sutorem omnino esse sanatum, facile ex ipsa qua removerunt aegrotum liquet ratione. Ne tum quidem ullum omnium quibus perturbationes cognosci licet vestigiis aberat, cum ut equidem in eum inciderem casus ferebat. Summa omnino irritatio, colloquii mira praecipitatio, superbia, immoderatio interdum satis ridicula. Si captivum ipsum fuisse dicebas, illud potius affirmabat, sese fuisse quem *Galli* appellent „*prisonnier d'état*“ cum mercede annua, nec inhonestum tali conditioni aliquod inesse prorsus opinari videbatur.

Saepius autem etiam ita vitam in carcere peractam interpretatus est, ut in castello, quod dicitur *St. Michel*, *martyris* partes sese egisse, *Pontorsoniae*, *servi* pronuntiaret. Quibus omnibus intentius consideratis, ex eo die quo coram iudicibus constitit, hallucinationibus, auditus et visus illusionibus sutorem laborasse haud certe difficile est ad suspicandum. Novissimis quidem diebus necessariorum voces vel potius imagines, ut nominare eas malebat, *Austeni* auribus resonare desierunt, quamquam nihilo secius nullis argumentis, etiamsi certissimis, de prava sua opinione, se antea iis esse exterritum, deduci poterat. Cum enim ipse ego ex eo quid imagines illas fuisse putaret quaesivissem atque sententiam quam equidem de iis sequendam esse exploratum haberem, scilicet sui ipsius ingenii cogitationes fuisse easque sibi aegrotanti visas esse addidissem," minime, „inquit," sic res se habet; est potius occultum iudicium exploratorium, torquendi alterum genus ad captivorum animos vexandos."

Verum quamvis maximum hallucinationes inter et illusiones intercedat discrimen, saepissime tamen in eodem homine coniunctae reperiuntur. Nil enim perturbato homini magis saepe accidit, quam ut opinioni de rebus captus sit prorsus ab his aliena. Perpetuo iteratur illa de alis molae vento impulsae in gigantes permutatis narratiuncula. Attamen in illis non solum, qui animo laborant afflicto, in lucem prodeunt res illae singulares, sed haud raro profecto in talibus, qui sana mente laetantur, cuius idoneam suppeditat caussam rerum sensibus obiectarum similitudo; quippe cum perceptionis partium unam vel alteram, seu formam seu amplitudinem seu colorem, aut plures quoque simul removere atque unam retentam amplificare liceat eoque omissis ceteris partibus hanc premere et urgere, atque ita sub huius cogitationis particularis genere rem totam sibi proponere: ea via, pluribus eidem generi rebus suggestis, obiectorum nascitur similitudo eaque ita progenita, ut perceptionibus, quae sunt universales, maxime diversis eadem, quae singulis earum partibus debe-

tur, cogitandi vis substituatur. An est quisquam, qui hoc ignoret, has ipsas illusiones superioris saeculi philosophis mirae argumentandi rationis materiam praebuisse, qua sensibus semper falli hominem nec unquam ad certum finem perduci contenderunt? Longe vero alia est ratio experientiae ac strenui iudicii.

Caput II.

Ut excolatur atque legitime procedat percipiendi sentiendique processus, modicum continuo irritamentum extrinsecus fiat et ab externis rebus profectum necesse est. Quae quidem excitatio peragitur in sensibus (Sinnesthätigkeiten) rebus externis impellentibus, occasione et vi extrinsecus oblata, inde ducitur ad nervos sensibus subiectos, unde rursus ad loca *peripherica*, quae illo incitamento tacta erant, extra propagantur. Quo fit, ut percipiendi vis irritationes, quibus impellitur, quaeque ad legitimam eius actionem peragendam necessariae sunt, non statim ab externis impulsibus accipiat, sed potius sensuum auxilio oblatas adipiscatur. Sicut in sentiendo irritatio ad nervos perducta rursus extrorsum proiicitur, ita etiam res animo perceptae eique propositae (das Vorgestellte) in regiones, unde causa afficiens venit, transferuntur. Quam explicandi rationem rei esse accommodatam liquet: facillime enim, quomodo evadere possit consociatus ille sensus (Mitempfindung) maxime subtilis, qui quamcunque imaginandi actionem comitatur, hinc perspicitur, qui sensus prouti huic largius, alii minus datus est, efficit, alter ut altero facilius et luculentius imaginetur et facultate praestat, res vividis coloribus denotandi et variis pigmentis exornandi. Quae propa-

gandi et extra proiiciendi facultas eorum in animo effectuum causa est et fundamentum, qui phantasiae vulgo tribuuntur. Attamen saepe evenit, ut non infirma tantum et tenuis sensuum exstet agendi conditio, sed eiusmodi, ut eorum organa promptissimum aditum concedant, quo fit, ut perceptiones rebus externis plane respondeant et his prorsus assimilatae extra proiiciantur.

Inter dormiendi vigilandique conditionem et verum somnum id intercedit discriminis, ut conscientia aliqua illi nunquam desit, neque suis desistant actionibus sensus, qui quamvis haud procul a somno sint, nihilominus quae extrinsecus eveniunt irritamenta recipiunt. Quo in statu dum somnia quasi praeripiuntur, facillime fictiones procreantur, quae sunt hallucinationes. Memoria ac phantasia arbitrii regno subductae sunt; sua sponte agit memoria; imagines, quae multo ante evanuerunt aut nunquam adfuerunt, subito emergunt in animo; animi perceptiones sensuumque affectiones quae efficiunt, ea sibi occurrunt atque ita variae patefiunt hallucinationes, quae minima voluntatis opera dispelluntur quaeque amplius nonnisi ab iis percipiuntur, qui spectatorum nullo motu turbatorum partes agere possunt. Lenissimo impetu externo sensus excutiuntur una cum animi intentione atque eo, ut imagines evanescant, efficitur.

Eodem modo se res habet apud somniantem; rerum, quae sunt extra positae, sublata est conscientia, memoria et phantasia iam non voluntati obediunt; recoquunt res antea perceptas saepiusque tales, quibus animus ob affectus admixtos fortiter aut continuo commotus erat, nec minus saepe tales, quae antea menti nunquam obversatae sunt, aut imagines iam diu diffusas, quas ut revocaret vigilantis memoria frustra laboraverat. Propriae somnio accedunt qualitates ex praesente vigilantis affectione, nec minus crebrae sunt illae animi imaginationes, quas ut opprimeret vigilans saepius operam dedit. Iucundissima atque plurima cum oblectatione somnia eveniunt, corpore aut animo nimis affecto; doloribus

corporis et animo vexatis fictam valetudinem afferunt somnia; magnifica ante animum proponuntur convivia fame cruciato; divitiae mendico-cet. Perinde animo perturbato afflictis ex summis qui morbo excitantur doloribus, altiore quamvis delirandi statu ingresso, sensus et cogitationes oppressae plus minusve contrariae prodeunt, atque ubi aegritudinis mutatio inducta, dolores aliquantum sublati sunt, prior animi miserrima conditio facillime ad immodicam maniacorum laetitiam ascendit.

Ita in somnia quoque hallucinationes evadunt maxime variae. In statu normali externae irritationis vi sensus moventur eaque excitatio a cerebro capessitur per facultatem perceptionis. In hallucinantibus sensus ita moventur imaginatione, memoria, phantasia, ut similes rebus perceptis existant imagines eaedemque extrorsum proiiciantur. Quam ob rem nil iam obstat, quominus hallucinationum sedem et in sensuum nervis et potissimum in cerebro collocemus. Earum igitur cerebri partium adesse oportet affectionem aegrotam, quae sentiendi facultatem sensorio communi coniungunt; quare primaria hallucinationum sedes iis locis, quibus in lucem prodierunt, in gangliis nervorumque ramificationibus, et iis quidem cerebri partibus existat necesse est, quibus percipiendi, intelligendi, reminiscendi atque ea imaginandi vis, qua res antea exceptas redintegrandi facultas continetur, collocatur. Quae quidem secundum perbonam, quam Wernerus Nasse conscripsit disputationem „de singularum cerebri partium functionibus ex morborum perscrutatione indagatis,“ Bonnae 1845, praecipue mediae sunt et inferiores cerebri partes; eodem auctore *memoriae* vim continent corpora striata, partes mediae, corpus callosum, fornix et septum pellucidum; *intelligentiae* corpus callosum et fornix; *sensuum* eaedem partes mediae, corpora quadrigemina et pons Varoli. Vix tamen scalpello anatomico continget, ut hallucinationes quomodo nascantur felici successu et luculente demonstret. Causae variae sunt:

1) quod simplex hallucinatio alia aegritudine libera raro accidit ac rarius etiam ab anatomicis indagari potest.

2) In animi conditione abnormi quod corporis affectiones haud saepe procreantur adeo manifestae, ut in mortuo vestigia explorari possint.

In hallucinationibus nonnullas tantum horas vel dies perseverantibus vix investigari potest in secando cerebri aut nervorum laesio sensoriorum; facilius ea poterit explorari et unice in iis, qui per complures annos hallucinati sunt: nam in his sicuti in hypochondriacis diu et vehementer vexatis, vere corporis afflictiones organorumque destructiones possunt provocari, vel aliam eorum cognoscere licet mutationem. Sed etiam hic occurrit difficultas: quippe longiore temporis spatio continuatis hallucinationibus saepissime deliria et aliae accedunt animi affectiones, quarum causa, unde exstiterit, esset investigandum.

Iam a priori difficile videatur hallucinationes referre ad laesionem anatomicam. Ideae in imagines transformatae aliae sine dubio sunt apud infantes, aliae apud ingenio afflictos, non afflictos, apud alios tandem aliis aegritudinibus implicitos aliae. Ex quibus tandem anatomicis causa petenda est permutationibus illarum, quae saepissime occurrunt, infantium affectionum, quae timore captae summaque agitatae trepidatione diabolos, homicidas, latrones conspicari sibi videntur et quae cetera sunt eiusmodi! Quomodo praeterea illam explicas mentis omnino sanae conditionem, qua urbes, homines, universas regiones ante oculorum obtutum progredientes conspicit aegrotus, minime eas imaginationis vi provocatas esse divinans! Cerebri rationem in ea aliam esse ac in conditione normali idque in idearum transformatione modum sequi a normali diversum vix est, qui repugnet; quae tamen illius aberrationes sit origo, difficile probatu, quare et ipsa anatomica pathologia hucusque accuratam eius rei expositionem erimari nequivit. Lélut et Aubanel, Calmeil, Leuret, qui magnam necroscopicis operam nava-

runt eiusmodi inquisitionibus vel nullam omnino anatomicam adesse laesionem contendunt.

Nonnulla exempla attulit Depeyré, quae tamen nihil aliud erant, nisi hallucinationes cum trementi coniunctae delirio atque praeter notissimas laesiones delirium tremens subsequentes novi in earum expositione describitur nihil. Foville [1]) in iis qui sensuum hallucinationibus fuerant afflicti, statum nervorum se indagasse asserit in iisdem sensibus morbosum, quocum quae Dr. Bright [2]) observavit conspirant: duabus afflictionibus apoplecticis praegressis, visus perturbari coepit ita ut aegrotus intueri sibi videretur homines, quorum nemo aderat. Dein nonnullos dies obcaecatus fuerat atque de aurium tinnitu audiendique inopia quaestus erat. Peritonitide exiguo temporis spatio interiecto decessit; sectio post mortem instituta arachnoideam ostendit densatam, impellucidam, datam liquore seroso (suspicari licet fuisse liquidum cerebro-spinale adauctum), substantiam medullosam maxime cellulosam mollissimamque. In superficie partis posterioris *thalami nervi optici* (corporis genicul. inf.) detecta est fissura pollicis latitudine et dimidii, colore subflavo, medullaque circumiacens mollita. Cerebri arteriae continebant depositiones atheromatosas [3]).

Hallucinationes nasci verisimile esse Darwin affirmat ex nervo sensorio inflammationi maxime obnoxio.

Sed multum abest, ut his exemplis innisus in universum de hallucinationum causis diiudicare possis; illud tantum utilitatis inest illis hanc aegritudinem explicandi conaminibus, quod inde necessarium esse patefactum est, ut in omnibus ita afflictis de nervi sensorii origine accuratiores perscrutationes anatomicae instituantur. Etiamsi fieri nequit, ut semper

---

1) Dictionnaire de médecine et de chirurgie pratiques.

2) Guy's hosp. rep. Vol. II. 1837.

3) Salzb. neue medicin.-chirurg. Zeitung. Decemb. 1842. p. 285.

veram aegritudinis quae animum occupavit in organis sedem accurate indicemus, tamen regio saltem ubi versetur investigari potest observationibus illis in nervorum vita eorumque afflictionibus factis et institui solitis ab iis qui *anatomiae* et *physiologiae* operam suam impendunt.

Caput III.

Inter hallucinationes et somnia illa intercedit similitudo, quod res universam nostram mentem omnino occupantes plerumque potissimam ambobus materiam suppeditent. Plurimi homines qui animae laborant perturbationibus, falsarum sensuum perceptionum caussas, prout adest ingenii facultas, pravae opiniones, singularis cogitandi ratio, fortuitaque affectio, non afflictioni extrinsecus receptae, sed aut sagis diabolove, aut arcanis physicae et chemiae artibus contribuunt. Sic pictorem urgent imaginationes oculis acceptae atque ab iis quae re vera sunt in conspectu petitae; aliae musicum vexant eaeque sumptae ab auditu; gulae deditus sapore et olfactu decipitur. Imagines fallaces a vita significant transitum ad deliquium animae simul et veram mortem.

Quibus in mentis alienationibus et hilaritatis et tristitiae vestigia haud absunt, nec multi sunt sensibus delirantes eiusmodi conditione destituti. Opprobria crebro percipere se opinatur melancholicus, etiam minas seu voces ad cruentum aliquod facinus se stimulantes; maniaci irritatio hallucinationibus comprobatur, saepius augetur; animi affectio, sive timor sive desiderium sive gaudium, phantasmatum genuinam constituit discrepantiam.

Magna corporis debilitate ingressa, doloribus multis toleratis, brevique temporis spatio ante mortem, non raro iucundae et splendidae mentem occupant imagines; nec minus saepe aliis definiuntur affectionibus deliria, velut genitalium irritatione, cibi indigentia, et aliis, quibus imagines procreantur respondentes, soni, odores, — cet.

Varia hallucinationum genera e certis quibusdam causis, quae antecesserunt, profectarum satis nota sunt, quo in numero ponendae sunt illae, in quibus animalia a delirio trementi correptis conspiciuntur, veluti glires, mures, aves, ita ut facile in opinionem aliquis incidere possit, illas imagines nigrorum tantummodo scotomatum transformationes esse, nisi saepius quoque bestiarum nequaquam exiguae amplitudinis figurae cernerentur, magni greges boum, equorum, cet.

Mihi ipsi hominen observandi erat occasio trementi delirio afflictum, qui equitum magnas turmas, tormentorum aggeres praetervehi conspicere se opinabatur. Eiusdem illa singularitatis sunt phantasmata, quae sumptis *Datura*, *Belladonna*, et praecipue *Hachisch* nascuntur.

Saepissime hallucinationum materia a religione depromta est. Aperiuntur deliranti res divinae imaginationibus et summae, quibus cummaxime occupatus est animus, cogitationes lubentissime fictionibus sponte conformatis approbantur. Itaque nunc voces de coelo missae hominum flagitant victimas, nunc missiones aegroto demandant messianas et alia eiusdem generis pro diversa eius cogitandi ratione. Multum interest, quibus antea perturbatus praecipue incubuerit negotiis.

Verum de materia et argumento hallucinationum mox in enumerandis singulis fallaciarum exemplis fusius disseremus.

Caput IV.

Iam ad singulos, in quibus apparent, sensus applicare et considerare hallucinationes liceat, ac simul accuratam earum divisionem describere conabimur.

Morbis in locis organi cuiusdam sensualis saepe delirii fontem contineri satis constat; quare aegrotus semper diligentissime examinetur oportet. Itaque imagines inde unice profectae mere sensuales suo iure designantur, nec omittemus postea argumenta afferre, cur merito Baillargerii distinguendi modum, quo hallucinationes *sensuum simul* et *animi*, et *non nisi animum* spectantes constituit, secuti sumus.

§. 1.

Exordiamur cum hallucinationibus, quae sunt auditus.

Saepissime reperiuntur apud perturbatos ingenio varieque compositae. Ipsum eius partis organum complicita utitur structura, nervorumque mirae irritationis facilitate et tanta quidem, quanta in nullo alio corporis organo cognoscitur; magna celeritate nulla singularum perturbatione externas res percipit atque hac ipsa consecutione memoriae tradit atque imprimit. Vix est alius sensus, qui tantam illusionum nascendarum in se habeat facultatem, quantam auditus, cum ipsa cerebri congestione perexigua plures audienti illusiones existant continuae, quamvis visus fallaciis aut alio eiusmodi delirio nondum ingressis.

Quorum phantasmatum imbecillima sunt genera, quae sonitum quendam revera non extantem adducunt, sive tonitru sive tormentorum crepitus, sive sonos campanarum, sive nonnullas voces unamve quandam saepius iteratam, cuius rei aptissimum exemplum est ille Griesinger hallucinatione auditus laborans, quae continebatur una vocula perpetuo repetita, magna ceterum perspicuitate auribus percepta; vix, ait, auditus illa affectio differebat ab ea, quae colloquio in nobis aliquo efficitur, eo tantum discrimine, ut propius ad aures vox pervenisse videretur [1]. Eodem pertinet id fallaciae genus, cum ab aliquo nominatim compellati ad eam partem se convertere solent, unde vocem resonasse opinantur. Nec est nullius hac in re momenti illud, quo quis ante erat occupatus vel quod fecerat tali aegritudini implicitus, velut puellae cuidam furtum aliquod opprobrio dabatur *voce* clarissima, quod ipsum commiserat. Rebus autem clanculum surreptis ei cuius fuerant restitutis, statim molesta illa *vox* puellam vexare desiit [2]. Audiunt porro ita aegrotantes omnes suas cogitationes repeti aut legentes aut secum ipsi dicentes: alios esse, qui se alloquantur, existimant, [3] aut accusent aut minitando invadant; credunt etiam nunc a pluribus hominibus, nunc ab uno sermones de se fieri (saepius tota colloquia exaudire sibi videntur, quibus haud raro insidias sibi paratas se cognovisse pro certo habent); postremo etiam consuetudine utuntur personarum minime praesentium, cuius generis luculentum exemplum praebent sermones illi Tassonis [4], ardore et sensus sublimitate maxime eximii, cum familiari

1) Griesinger: Die Pathologie u. Therapie der psych. Krankh. Stuttg. 1845. p. 74. not. 3.

2) Mémoires de l'Académie roy. de Médec. tome XI. Eloge d'Esquirol.)

3) Cf. Exemplum de Austeno supra enarratum, multa alia hic pertinent praterea de animi perturbationibus scripta.

4) Vita Tassonis, ed. Manso.

habiti daemone, nec minus illa huc pertinent colloquia, quae a **Luthero** 5) cum diabolo facta esse constat.

Haud raro hallucinantes etiam coelestes auribus percipiunt harmonias, clangorem sphaerarum, vocum sonorum qui concentus. In memoriam tibi revoces iucundissimum, quod **Esquirol** attulit exemplum *praesidis* illius *Gallici* magna linguarum excellentis peritia. Multae ei resonarunt *voces*, quae omnium fere in *Europa* linguarum vocabulis alternae usae sunt 6).

Sunt aegrotantium multi, qui praeter vocum in auribus resonitum nil amplius se percipere dicant; quae autem fuerit sensus ratio atque vis in eum exercita, id minime valent significare. Nonnunquam tamen crepitus accuratiorem proferre iis licet descriptionem eiusque maiorem aut minorem expresse indicant fortitudinem, saepius ad lenissimum murmur minutam susurrumque maxime submissum, alii porro ita animo sunt alienati, ut cogitantem te verba ad se facere opinenturatque ab animo ad animos colloquia ceteris haud perspicienda instituant, nec nisi voces in se exaudiant occultissimas ab omni fremitu alienas. Unde ad aures accesserint soni quamque viam sint ingressi, in eo summa inter aegrotorum descriptiones discrepantia; nunc de capite aures plectere videntur, nunc de conclavis tegmento, de superiori aedis parte nunc, nunc quoque a vicinis thalamis, ex terra aliisque praeterea locis, velut quidam, quum curru quondam publico veheretur, subito sui exaudire ratus est adversarii vocem ex illo currus loco, qui lingua Franco-Gallica vocatur „*Impérial*," clarissime sonantem 7). Sunt denique, qui una alterave tantummodo aure receperint stridorem 8); quidam aurium fremitus hallucinationum eiusmodi comitatu saepius incedit modo sibilantis, modo

---

5) Lutheri opera omnia, edit. Amstelod. Tom. VI. p. 267 sqq.

6) **Esquirol**: Maladies mentales, Bruxelles 1838. tom. I. p. 80 sqq.

7) Bottez: Essai sur les hallucinations, Lyon 1836. p. 28.

8) Cf. Calmeil: Dict. de médec. en 25 vol. article *Hallucionation.*

susurrantis clangorem adaequans. Quin etiam nonnunquam evenisse constat, ut delirantes, quamvis talium longe magis existat exemplorum numerus exiguus, vel ex ipsis singulis corporis partibus voces sibi obvenisse putarent eaeque et de capitis vertice [9]), de pharynge, pectore, alvo, stomacho [10]), et quae sunt cordis partes vicinae [11]); hanc morbosi conditionem proximae subsequuntur *obsessiones*, nec aliter in illis se res habet, qui *somnambulismo* quem decunt *magnetico* sunt afflicti, quum voce aliqua ex epigastrio profecta ductos vaticinari se contendunt.

Falsae auribus imagines maxime illis obversantur, qui auditu difficili laborant, sive percipiendi tarditate sive perfecta surditate vexati, et mirandum profecto, quod plurima posterioris generis perhibentur exempla.

Duae Mulieres, exponit Esquirol [12]), in nosocomio, cui nomen est „*de la Salpétrière*,“ quarum mentis aberratio eo fiebat aperta, ut fere semper homines nonnullos, quibuscum die nocteque verbis altercabantur, sese audire putarent.

Aliud Baillarger [13]) commemorat exemplum, quinque feminas esse in „*Salpétrière*“ vario surditatis gradu afflictas crucitasque auditus phantasmatis, eamque quidem vehementissime, cuius fortissima esset audiendi facultatis alienatio. Etiam in nosocomio „*Charenton*“ caecum se conspexisse idem narrat auctor, qui saepius magna hilaritate asseruisset iis, quorum forte uteretur consuetudine, symphonias sese audire deliciosas. Eodem modo etiam Beethovenum tradunt aetate provectiore, quum omnino aurium surditate esset perculsus, supremis vitae diebus egregias, quas antea composuisset, concentus distinctissimis ei iteratos esse harmoniis, unde solatium ei profluxisse neutiquam dicitur vile.

---

9) Cf. casus narratus a Pinel in eius Nosographie, tom. II. p. 66.
10) Cf. Griesinger, l. c. p. 76. adnot. 1.
11) Lefargue: Gaz. méd. 1841. p. 713.
12) Esquirol: loc. cit. I. p. 196.
13) Mémoires de l'Acad. royale de Médec. t. XII. 1846.

Ut planius praeterea in liquido appareat, quanta sint perturbationis vi haec eaedem auditus falsae insimulationes in universam hominis cogitandi facultatem, exemplum commemorare liceat hocce: Homo quidam ingenio alienatus, cui fere semper aurium phantasmata obversabantur, ita ut nemo uti eius consuetudine posset, quia nulla ullius rei ratione habita plures non raro omnino in se abditus sederet horas, postremo fictionibus illis liberatus verba interdum de iis fecit ad amplitudinem evectis tantam, quantam nonnisi auditui pro quibusvis suis rationibus licet praebere. Sunt autem eius de imaginationibus sermones ab ipso aut conscripti aut abrupte interdum pronuntiati huiusmodi:

„Sitzend auf der Felzspitze, die frei hervorgeschoben sich schräg aufwärts hinausreckt über das Meer hin, höre ich die Erde mit mir rollen, den Himmel über mir fortweichen, das Meer unter mir schwanken, der Erde tiefste Feueressen kochen. — Bei mehr ruhiger Luft und rein gestimmter Seele, höre ich (so schrieb der Kranke) den hohen Flug unsichtbarer Zugvögel und das Liebeswerk der Fische im Meere. — Den Abgrund unter, den Himmel über mir höre ich meine Seele denken, ein sonderbares, unbeschreibliches Geräusch, mit Nichts vergleichbar. Ich höre mein eigenes Herzblut rauschen. O! ich höre Alles, was sich regt, was lebt und denkt. Ich höre der Menschen inneres Wollen, ihre Hoffnungen und ihr Gewissen. Alle Stimmen höre ich und verstehe sie; alle Gefühle höre und verstehe ich. Das Alles zu hören ist entsetzlich und das Innerste zerstörend, da kein Zusammenhang drin ist. [14])“

§. 2.

De hallucinationibus visus.

Visus hallucinationes apud eos, qui animi morbis laborant,

---

14) Sinogowitz loc. cit. p. 274.

rarius occurrunt, quam auditus: frequentiores apud eos sunt, qui sana mente gaudent. Auditus hallucinationes multo maior anteire videtur perturbatio quam visus. Sensus videndi omnibus in rebus est praestantissimus, largissimus ac purissimus fons, quo ideae nascuntur. Per oculos alma lux, tenuissima maximeque mobilis idearum materies, copiose ac varie ad cerebrum adfluit. Sicut toti organismo per pulmones ac cutem aër, materies minus exculta, et sicut digestionis organis rudis materies, quae sensim sensimque varioque modo dissolvatur necesse est, advehitur, sic cerebro lumen ad alendum adfertur. Infanti oculus est prima porta, seni ultima, qua menti cum rebus externis est communicatio; lumen conspicere — id est nasci, oculos claudere — id est mori. In tabescente aegri corpore visus ultimam sensuum atque vitae largitur iucunditatem. In moriendo interdum accidit perinde, ac si flamma spiritualis defervescens in cerebro interno denuo omni cum vi sua reviviscat atque in externum organum, quod per totam vitam lumini liberrimum concessit aditum, nempe in oculos quasi ultimum effulgeat.

Simplicissimi sunt casus ii, in quibus aegroti ignem aut vim luminis conspiciunt, aut in quibus eadem res per longius breviusve tempus ob oculos versari videtur, ut Pascal ex periculoso in ponte Neuilliensi casu semper voraginem ante oculos habebat.

Puella quaedam mensium suorum tempore domum paternam flammis absumi vidit; statim furit, se in ignem iniicere vult et se ipsam ardere putat. In nosocomium portata ingenti ignis clamore cuncta implet et se et parentes incendii cruciatibus vexatos putat. Non cessat furere, saevire, acclamare: „Videtisne, quomodo omnia ardeant.“ — Quatuor hebdomadibus post mortua est atque „ignis, ignis“ ultima puellae morientis erant verba [15]). Porro sunt hallucinationes, in quibus res variant, evanescunt, iterum apparent, di-

---

15) Sinogowitz l. c. pag. 258.

versas formas ac species sumunt, adpropinquant, recedunt, augentur, minuuntur; neque minus sunt tales, quae pertinent ad aegrotorum occupationem principalem, ad centrum quoddam, circa quod omnes moventur cogitationes, quae similitudo etiam in somniis est perspicua. Item mania religiosa laborantes Iesum Christum vident, Mariam virginem, angelos, item daemoniaci vident daemonem [16]).

Saepe etiam priores reproducuntur impressiones admodum vivae, de quibus unum exemplum Pascali, quod supra memoravimus, in memoriam revocare satis est.

Et hallucinationum ratio et argumenta ab aegrotis accuratissime ac subtiliter saepe describuntur. Res sunt modo clarae, modo obscurae, modo umbrae [17]) tantum perlucidae aut non perlucidae, mobiles aut immobiles, mutantque locum, formam, quantitatem [18]).

Lumen non parvam exercet vim, etiam palpebrarum conclusio; apud nonnullos aegrotos imagines clausis oculis evanescunt et iterum apparent apertis [19]); apud alios tenebrae ad provocandas imagines sunt necessariae, lumen vero eas repellit [20]). Sed contrarium quoque invenitur [21]). Quod attinet ad directionem imaginum, plerumque ante aegrotum sunt positae; sed interdum eo momento, quo caput in latus vertit, eas oculorum directionem sequi videt [22]), ita ut non

---

16) Cf. Histoire des Diables, Amsterdam 1716. pag. 377. huiusque operis multa similia.

17) Mémoires de l'Acad. royale tom. XII. Cf. Baillarger, qui se ipse obnoxium reddidit Hachischo eum afficienti.

18) Cf. notum exemplum Nicolai in Reil's Fieberlehre tom IV. p. 285. vel Berliner Monatsschrift. Mai 1799.

19) Cf. idem casus Nicolai.

20) Cf. Sinogowitz l. c. pag. 259.

21) Cf. Esquirol, Maladies mentales. Paris. 1838. tom. I. pag. 218.

22) Cf. Brierre de Boismont, Des Hallucinations ou Histoire raisonnée des apparitions, des visions, des songes, de l'extase, du magnétisme et du somnambulisme. Paris 1845. pag. 49. — Bostock, System of physiology. vol. III. p. 204.

dubium sit, quin oculorum motus vim exhibeant. Hallucinationum tempus admodum varium est, earum origo plerumque repentina refertur.

Apud caecos visus hallucinationes sunt rariores quam auditus apud surdos; tamen nonnulla innotuerunt exempla ab Esquirol [23]), Calmeil [24]), ut etiam somnia amaurosi laborantium sunt insignia [25]).

Postremo non alienum videtur narrare, quod ipse cognovi hallucinationum exemplum.

F. studiosus Bonnensis, ad potandum proclivis, morem in pluribus Germaniae academiis nimium pollentem enixe secutus est. Idem tamen sexus voluptates et illa aetate omnino sprevit et in posterum ab ea cupidine explenda strenue abstinuit. Is vespere quodam, complures per dies sacrificiis Baccho largiter factis, solito maturius domum reversus consilium cepit, a vita tot annis tanta protervitate peracta prorsus abscedendi. Consuetudinis inveteratae poenitentia imbutus cubitum iit; paulo post cum oculos in patefactam inter conclave et thalamum portam converteret, subito imago patris Augustae Trevirorum habitantis ei visa est, brachiis in tergo positis, nocturua veste induta, apice capitis tegmenti more consueto in dextero latere nutante, per conclave lento gradu in thalamum ingrediens et ad lectum eius consistens. Filius extraordinaria tali et a rebus humanis abhorrente forma vehementer quidem irritatus nihilominus torpore summis cruciatibus aucto opprimebatur ita ut per longius temporis spatium sibi oppositam contemplaretur imaginem, quae contra non solum oculos filii sui in se convertere nitebatur, sed etiam paulo post salutationibus animo quasi dolente factis discessura tantopere simul per lectulum porrecto appropinquabat,

---

23) Esquirol l. c. tom. I. p. 183.

24) Dictionnaire de Médecine en 30 vol. art. Hallucination. Cf. Enchiridia Physiologiae a F. Müller et Burdaco scripta.

25) Cf. Hermann in ab Ammon: Ophthalmiatrische Zeitschrift. t. I.

ut patris irritati severam faciem sibi adhaerescentem cognosceret. Quae res adolescentem, adhuc paene mentis suae impotem, omnino expergefecit, qui statim socium in eodem thalamo dormientem, nomine eius elata voce clamato, suscitavit, isque celerrime ad amici lectum accedens mire se gerendi causas ex eo quaerit. Inter pauca huius casus momenta patris imago lento gradu, ut venerat, per thalami portam in conclave digressa a filio observabatur, qui mox amicis socii alloquiis motus lecto surrexit et cum illo, cui perpetuo haud perspicuis ad intelligendum verbis patrem praesentem formamque eius veram affirmat, non solum thalamum et conclave, sed etiam scalas, quin immo, omni familia citata, totam domum ut in patrem incideret perscrutabatur. Quamquam ad extremum domestici ei, cum patrem invenire non posset, cunctas aedium ianuas usque ad hoc clausas fuisse dicerent, tamen demum post varias socii adhortationes lectum adscendit et in altum somnum incidit, ex quo sequente die valde progresso sanus est experrectus.

Aliquamdiu miri eventus mentione non facta amico suo contubernali accurate et copiose casum illum, ut iam cognovimus, enarravit simulque adiecit, ut rem silentio tegeret, quod eius votum eo lubentius sequitur socius, quo maiora, rationibus illius nocturni visus pervulgatis, incommoda amici instare videbantur. Sed ut est hominum natura atque indoles, in diem et sollicitudo et anxietas, superstitione haud parva auctae, iuveni crescebant ita ut postremum nihil sibi superesse putaret, nisi ut ad parentes mitteret epistolam singularia illius casus ac noctis momenta describens et diem et horam mirae speciei definiens. Paulo post matris obstupefactae afferuntur litterae, quibus patrem narrat ipsa illa die et hora, postquam complures per hebdomades aegritudine laborasset, id quod filium usque ad hoc latuit, lectum reliquisse et vestibus supra descriptis indutum conclave perambulasse; filii quoque Bonnae versantis mentione facta et pronuntiato voto, magnas parentum spes ne is iniquitate falleret,

quin potius strenue expleret; patris vultum, cui filii affectiones nonnunquam in peius cadentes cognitae essent, severum atque gravitate contristatum matri visum esse illa referebat.

Nonnullis annis postquam potandi cupidini indulserat, idem in omnibus sui conclavis angulis vidit *pusiones* admodum minutos, digiti magnitudinem vix superantes, sed nasibus et caudis satis longis, qui ad lectulum eius accedentes dentibus acutis et prostantibus ipsum appetunt, manibus suis exiguis eodem modo illudentes, quo pueri lascivi praetereuntes contemnere solent, quibus aliquid incommodi obiecerunt. Aegrotans oculos avertit, sed etiam in aversa parte spectra illa comparent ingenti multitudine et proxime ob eius os incedunt. Quo temporis momento ille reminiscitur fabellae a Chamissone poëta compositae de homine *appensum* (Zopf) semper in tergo gestante, atque continuo delirio quodam correptus ipse sibi videtur esse ille vir, qui aegre fert appensi sui comitatum. Iam res iocosa ei visa est et in vehementem risum prorupit: evanuerant spectra, sed simul patris vocem ex proximi conclavis lectulo audivit, quaerentis, quid acciderit, cui respondit, sese somniasse.

§. 3.

Hallucinationes spectantes olfactum, saporem et tactum.

a. Rarius odore falluntur aegroti, quam iis sensibus, quos antea in disceptationem vocavimus; magis ad delirii accedere primordia videntur nec multum differunt a meris sensualibus eae fallaciae. Qui odorem nullo olfactus irritamento procreatum senserit, aptius illi comparandus est, qui varios auribus percepit stridores, quam aegroto colloquia ineunti cum hominibus e conspectu omnino remotis; creberrime inveniuntur odores fastidiosi, sive *sulfurei*, *carbonarii*, sive *cadaverini*, et praecipue occurrunt in morbis acutis. Difficile plerumque huius sensus hallucinationes ab illusionibus

distinguuntur. In exemplum incidi errantis cuiusdam, ad olfactus fallacias respiciens, a Sinogowitz ita perhibitum.

Homo ante ingenii alacritate, consuetudinis iucundissima hilaritate prae ceteris maxime insignis post anni fere unius spatium *meditabundus*, *tacitus*, valde *irritabilis* factus erat; medicaminibus clam utebatur, magis magisque in propinquos suspicionem aperiebat invisam; postremo palam „molestissima aegritudine," confessus est, „crucior atque putredine membra corporis quaelibet delenti omnino me video labefactatum, quorum hucusque societate usus sum ab iis irrisum, contemtum ac propter corporis mei pestilentem odorem sentio me desertum." Solitudines petiit et vitam trahebat tristissimam; in dies delirium adaugebatur, cum ipse originem aegritudinis in *veneno* quodam *lippienti* poneret. Aliam in urbem profectus, qui obviam sibi venerunt acriter oculis prosequebatur exploraturus, num et illi a pestilentia abhorrentes e conspectu confugerent. Praetereuntium quendam sudario e marsupio protracto forte utentem, oculis in eum conversis vehementissime invectus est, durumque compellavit cavillatorem et vel colaphum ei infregit. Animi deliratio mox aperta: odores, qui aliunde ei obvenerunt minime percipiebat, suum ipsius tantummodo foetorem equorum urinae similem olfactui affirmabat obduci. Iisdem querebatur de saporis molestiis. Effrenate simul indulserat aegrotus manustupro, quare in dies corpore magis macrescebat atque postremo ingenio apparebat plane obtusus [26]).

b) Utrum prava de saporis quibusdam affectionibus vere tibi oblatis opinione ducaris et illusione fallaris, an propriis hallucinationibus videaris deceptus, pro certo statuere difficultate haud indiget. In eorum, qui normali ratione cogitandi aberrarunt, grandi numero vires cibis concoquendis aptas raro invenies non turbatas, quare illud non mirandum, quod veneno cibis immixto mortem sibi parari suspican-

---

26) Sinogowitz, l. cit. p. 297.

tur, sive arsenico, sive hydrargyro, sive cantharidibus, sive aliis; aut quod omnia ad gustandum sibi porrecta malum, acidum, cadaverinum, terrenum, vel alium eiusmodi prae se ferre saporem opinantur aegroti. Quae sapiendi aberrationes facillime occurrunt ex mea quidem sententia apud illos, qui mania vexantur religiosa aut ecstasi, quum saepius eiusmodi afflicti *manna* cet. vitam sibi sustentari existiment.

c. Hallucinationes tactus, ut odoris et saporis, difficiles sunt ad distinguendum ab illusionibus, aut potius phaenomena, quae huc pertinent, quatenus non in anaesthesia sunt posita, omnino pro illusionibus habenda sunt, quum abnormitas peculiaris in sensibus perperam acceptis et explicatis constet, quales etiam apud sanos aut in variis morborum statibus comparent. Quae hallucinationes in febribus, ut in typho, manifestissimae fuerint, in quibus aegroti saepe singularibus affecti sunt per cutem tactionibus; verum et hic oritur quaestio, num hi cutis sensus abnormes ad cutis statum sint reducendi, num sint verbi gratia prima molimina criseos per cutem, ab aegroto male accepta.

Aegroti sentiunt, quomodo super corpus suum glires, araneae, aliae bestiolae decurrant; alii de ictibus ac verberibus, quae se accepisse putant, queruntur, magis etiam de variis vexationibus per acres aquas admotis, de foetore exhalationum. Corpus totum inquinatum sentiunt aut in aquam immersi sibi videntur.

Hallucinationes, quae ad coenaesthesim, hoc est ad animi de corporis statu conceptionem pertinent, etiam difficilius ab illusionibus distinguas. Aegroti cicadas, araneas, aves organis suis inesse putant. Sic in hypochondria aegroti primo queruntur, in cute discurrere bestiolas, in alvo versari ranas, inhaerere vermiculos et id genus alia opinantur; et non nisi intio, quum imaginatio procreat perceptiones sensuum, veras hallucinationes adesse concedas; durante morbo attentio uni organo admota stimulat nervos ac vasa nervorum eoque post verae alterationes telae nervosae ori-

untur. Alii aegroti sensu gravitatis aut levitatis corporis sunt affecti; nonnulli tam leves se sentiunt, ut timeant, ne vento auferantur [27]); alii tam graves, ut caput cum plumbi mole conferant [28]); alii corpus longius fieri sese observare putant [29]), alli in aerem tolli se arbitrantur; sunt quorum corporis moles infletur, etiam qui concuti, huc illuc moveri sibi videantur, id quod olim saepe usu venit in daemoniacis et sagis. Praeterea sunt tactus hallucinationes, quae nituntur perceptionibus antegressis, velut qui amputati sunt in membris recisis dolorem se sentire credunt, id quod aliquoties occasione oblata observare potui. Quibus falsis ideis, quae pertinent ad communem sensibilitatem quaeque aut ad organa ac partes proprii corporis aut ad aliena corpora quae corporibus suis inesse aegroti putant, referuntur, addendae sunt sexuales illusiones, de sexuali coniunctione cum personis aliquibus a sese adamatis, de consuetudine cum diabolo, quaeque obsessiones vocantur.

d. Auditus hallucinationes sunt frequentissimae, secundo loco sequuntur visus, tertio tactus, quarto saporis; rarissimae sunt odoris. Si simul adsint plurium sensuum hallucinationes, unius alicuius sensus plerumque prae ceteris praevalent [30]), quod tamen non nisi de iis statuendum est, quae durant, minus fit in iis, quae subito praetereunt. Praecipue in acutis morbis hallucinationes coniunctae plurium sensuum, quae plus minusve generalem corporis aegritudinem ostendunt, observantur. Quod spectat coniunctionem hallucinationum plurium sensuum, auditus et visus hallucinationes sunt frequentissimae, tum tactus et visus; perraro tactus auditusque coniunctae reperiuntur, visus saporisque, auditus

---

27) Cabanis, Rapport du physique et du moral, éd. de Peisse. Paris 1844. p. 149.

28) M. Michéa, Traité de l'hypochondrie p. 33.

29 Cabanis, l. cit. p. 149.

30) Cf. Nicolai exemplum iam saepius laudatum.

odorisque, odoris tactusque. Triplex coniunctio rarius invenitur; quaeque auditum, tactum et visum simul afficit, est frequentissima; quadruplex etiam rarius occurrit; quod ubi fit, iuncta hallucinatio visus, auditus, odoris et tactus frequentior est. Quintuplex coniunctio nunquam adhuc observata est.

Caput V.

Distingui possunt causae hallacinationum ita:

1) sunt aut *physicae*

2) aut *animam*

3) aut *utramque partem*

spectantes.

a. Physicae. Pertinet ad eas *vulgaris* seu *electricitas voltaica*, sensibus applicata [1]), *temperatura* subito *minuta* [2]) vel adaucta [3]), *spirituosorum* abusus [4]), *subita* de iis nimium sumendis desuetudo, aut tandem *maiores* doses *Chinii* sulfurici [5]), *Digitalis* [6]), *Daturae Strammonii* [7]), *Belladon-*

---

1) Cf. J. Mueller: Handbuch der Physiologie.

2) M. Prus: Rapport sur un mémoire de Baillarger (Révae méd. Septbr. 1843. p. 146.)

3) Delirium navigatornm, cui nomen est *Calentura*, terrae plagas pernavigantium calidas hallucinationibus plerumque designatae.

4) Cf. exemplum supra enarratum studiosi phil. F.; M. Baudry: Des hallucinations (coll. des thèses de faculté de Paris, 1833, Nr. 255; — M. Roesch: De l'abus des boissons spiritueuses (Ann. d'hygiène et de méd. lég. t. XX. p. 343.

5) Gaz. méd. de Paris 1843. Nr. 14. .p. 226; — Nr. 53, p. 356; Nr. 26. p. 52. —

6) Barbier: Matière méd. tome III. p. 361; — J. Mueller: Physiologie des Nervensystems.

7) Moreau: Mém. sur le traitem. des halluc. par le Satur. Stram. (Gaz. méd. de Paris 1841, Nr. 43. p. 675.

nae, *Hyoscyami*, *Opii*, eiusque *praeparatorum*[8]), *Hachisch*[9]), *nucis vomicae*[10]), *camphorae*[11]), emanationes *saturninae*[12]), inhalationes *Nitrogenii oxydulati*[13]), *suspendium*[14]), *pressiones* simplices vel *irritationes* organorum sensus *mechanicae*[15]), *commotiones* cerebri ex *ictu* allatae vel ex *casu* in caput[16]), *abstinentia* alimentorum[17]), propagatio e statu *hereditario*, *diminutio* lucis, vel, si omnino abest, *lux*[18]), media vita, et praecipue illa inter 35—45 annos periodus[19]), conditio corporis nervosa, genus muliebre[20]).

b. Quod vero ad causas *psychicas*, inter eas enumerandae sunt:

---

8) Cf. Handbücher der Arzneimittellehre; — Bally: mém. sur l'effects thérap. de la morph. (mém. de l'Acad. ray. de médec. 1828. t. I. p. 158.)

9) Moreau: l. c. p. 646; — Moreau: du Hachisch et de l'aliénation ment. Par. 1845. (Mediz. Vierteljahrsschrift von Wunderlich u. Roser. 1845. Jahrgang 4. Heft 4)

10) Lallemand: Recherches sur l'encephale, t. II. lettre IV. Nr. 7.

11) Arch. de méd. 1830. t. XXII. p. 129.

12) Gaz. méd. 1837. 14. ianv.

13) H. Davy: Researches chem. and philosoph. conc. nitrous oxyde cet. London 1800. p. 488.

14) Baco: historia vitae et mortis, p. 85. — Morgagni: de sedibus et causis morborum, epist. 19. Nr. 36; — Fodéré: Médec. lég. t. II. p. 315. —

15) J. Mueller; G. Valentin: Handbücher der Physiologie.

16) Sam. Hibbert, l. c. p. 190.

17) Rélation du naufrage de la Méduse, 4e éd. 1821. p. 121.

18) Taillepied: de l'Apparition des esprits. Paris 1816. ch. XV. p. 158; — Fodéré: traité du délire, t. I, p. 483; — Calmeil, l. c. hallucinationes noctu frequentiores esse dicit quam per diem.

19) Cf. Mém. de l'Acad. ray. de Méd. t. XII, art.: de Michéa, qui ex statisticarum observationum centum viginti tribus casibus hoc patere contendit.

20) In 53 aegrotis generis virilis 24 praeberunt hallucinationes; in 66 gen. mul. autem 33. Mém. de l'Acad. roy. de Mèd. loco citato.

Si impressio nimis longe perduraverat, si usitata sensuum irritamenta nimis vivide valent, ut adspectus solis continuus, aut longior microscopi usus, attentio uni eidemque rei diutius impensa, quae omnia iam ex organismi legibus semper torpor quidem sequatur necesse est, societas porro deficiens, vincula [20]), conscientiae stimuli [21]), terror [22]), timor, tristitia amisso quodam amico provocata [23]), nimium honoris studium [24]), notae macula [25]), aliae eiusmodi affectiones, moeror, amor contemtus, miseria, in alios nimia suspicio et alia.

c. In mixtarum causarum numero exhibenda est ebriositas, sumta nimia spirituosorum copia quum in solum corpus tum vero *directe* per maiorem organorum irritationem et mutatam cerebri nutritionem, per congestiones chronicas in eo procreatas, tum denique *indirecte* ex potatorum cachexia plane exorta et totius organismi corruptione vim exercet. Altera ex parte ebriositas gravissimas quoque adducit impressiones, ac in ipsis illis irritationibus ebrioso facile accidentibus, ac tristibus animi affectionibus illud vitium plerumque sequentibus, sive familiae studio oppresso, sive negotiorum ruina accelerata, sive suorum summa contemtione sensim procreata. Tandem ebriositatis ipsius talis miseria saepe in se habet originem. Nec nihil valet in hanc partem et corporis et animi effrenata vitae consuetudo, omni destituta quiete, ordine lasciviaque peracta, demto meliori quoque incitamento, quibus miseriis aliae postea accedunt maiores, ex ingressa brevi operum fere quorumlibet inopia et tristi egestate profectae.

---

20) Zimmermann, über die Einsamkeit. — Silvio Pellico, mes prisons, trad. p. Latour, p. 127.

21) Mém. sur les halluc. p. Bayle. (Révue méd. Janv. 1825, p. 34 et 39.) — Cf. etiam casus F. supra enarrati et multi de mentis aberrationibus libri.

22) Fodéré, traité du delire, t. II, p. 121.

23) L'Encyclop. méthod., art. Imagination.

24) Bayle, l. c. p. 41.

25) Taillepied, l. c. p. 90.

Eadem in hominem cumulatur pernicies nimiae sexus cupidini indulgentem, aggressis et animi summa irritatione et corporis totius fatigatione; nec aliter masturbatione [26]) res se habet causa haud raro et animi simul et corporis destructionum frequentissima. Omissa nimia hac genitalium stimulatione et medullae spinalis cerebrique exinde orta perniciosa infirmatione, manustuprum, quod semper moestissima comitantur incommoda, sive pudorem inter ac poenitentiam discordiae, sive propositi cum illecebris certamini vim esse ad iudicandam multo exitiosiorem non est, cur infitieris [27]).

Interdum praecedere delirio hallucinationes, ita ut pro causa illius haberi debent, haud caret veritate; in ampliori tamen exemplorum numero inter ipsam mentis alienationem accidunt, nec aliter sunt accipiendae ac symptomata ab ea producta. Nascuntur saepius quoque e *neurosibus*, *neuralgiis*, ceterisque morbis plerumque acutis.

Tres sunt in universum conditiones ad procreandas hallucinationes necessariae, 1) ut sponte agendi memoriae simul et imaginandi facultati vis non desit, 2) ut evanuerint externae irritationes, et 3) ut intus excitentur sentiendi vires.

Quod ad primam attinet conditionem, facile in liquido res apparebit, si in memoriam tibi revocaveris enarrationem de phantasmatum origine eorumque cum somniis similitudine supra perhibitam. Quaecunque memoria sponte agenti et imaginatione, sublatis impressionibus externis, excellunt conditiones, eas simul comitantur hallucinationes psychico — sensuales, velut status ille haesitans inter somniandum et vigilandum [28]), consomniantis et melancholia laborantis cum stupore [29]); magno porro phantasmatum impedimento est animi in rem aliquam continua attentio sicut et incitamenta ab externis rebus pro-

26) Cf. Brierre de Boismont, l. c. p. 363.
27) Cf. Jacobi et Nasse, Zeitschrift I. 1835, p. 205.
28) Cf. Handbücher der Physiologie a. Burdach et Müller.
23) Cf. Mémoires de l'Académie royale de médecine, t. XII. 1846.

fecta eas depellunt[30]) frustra ut in memoriam eas tibi vevoces elaboraveris; cui rei consentiens Nicolai sua sponte, inquit, phantasmata obvenerunt nec summa virium intentione hanc aut illam animo obducendi personam par factus sum; duabus tribusve earum menti meae obversantibus, nihilo minus internae imagini certam formam induere non poteram, quamvis eadem antea phantasmata sponte iisdem mihi obversarentur descriptionibus[31]). —

Aegrotorum deinde vincita attentione aliquamdiu ut evanescant hallucinationes effici potest, velut exemplo illo ab Esquirol[32]) de praeside gallico comprobatur: „Rentré dans son pays M. N. passe l'été de 1812 dans un château; il y reçoit beaucoup de monde; *si la conversation l'interesse*, il n'entend plus les voix; si elle languit, il les entend imparfaitement et quitte la société, se met a l'écart pour mieux entendre, ce que disent ces perfides voix; il devient alors inquiet et soucieux." —

Omnes, quibus ut sponte agat tum memoria cum phantasia et externae tollantur impressiones efficitur, causae, simul gignunt hallucinationes, quarum duo statui possunt genera, aliis directe, aliis indirecte agentibus. In prioris numero ponendi sunt affectus deprimentes, velut timor, moeror, aegritudo; in alterius irae inflammationes, quas necessario torpor, fatigatio, collapsus sequuntur, quare vim tantum indirectam exercere illas irritationes sicut ceteras eiusmodi causas hallucinationes procreantes merito contenderis. Itaque excitatum prius animi habitum sequitur paralysis fere perfecta, ut et raro hallucinationes conformantur vehementi maniae impetu, at saepius fortasse illa, quam maniam dicunt acutissimam, quaqui corripiuntur, rerum omni indigent externarum perceptione.

---

30) Cf. quod supra dictum de origine hallucinationum.
31) Cf. Reil's Fieberlehre l. c.
32) Cf. Esquirol l. c. pag. 81.

Quid tandem de illa sit iudicandum, quam maxime nostris diebus eruditi proposuerunt quaestionem de generis cultus humani exitiosissimo in omnes vitae conditiones influxu, cuius haud vilissimo sint argumento animi perturbationes et in universum adauctae atque in primis suis initiis admodum amplificatae cognitu non difficile. Sunt, qui nullam prorsus de eius rei veritate dubitationem exstare contendant, quamvis equidem argumentis ab iis datis ut in eorum partem concedam, vix possim adduci. Omni quidem veritatis specie haud sunt denudata; prolati enim in miram amplitudinem antea maxime coerciti et artium et litterarum fines et quaecunque sunt ceterae humani generis industriae partes, maiori certe cerebri vi ac fortitudine ut ageretur, flagitarunt; nec illud potest ullo modo denegari, mores a priori magis magisque sinceritate regressos latiusque praeterea provectos et animi et corporis voluptates atque delicias in hominum societate provocasse libidines cupiditatesque antea minime cognitas. Generalis hominum educatio honoris cupidinem excitat nimia appetentem, cui satisfacere possunt paucissimi. Vertigines mercatoriae, politicae et sociales vim exercent et in singulos et in universum populum maxime percutientem; fames accrescens, miseria, scelerum multitudo „*proletariorum*" maximi fiant momenti omnino oportet in aegritudine, cuius gravissimas et proximas rerum inopia, egestas et continuae animi stimulationes efficiunt causas. Quae tandem in magnis urbibus imprimis stipata hominum copia satis referta alia nova eaque perniciosissima accedunt pericula quum summam morum corruptionem, tum exitiabilem vitae secum depravationem ducentia, plane nihil in illas valere animi aberrationes accipi non potest.

Quaque de delirantium numero usque ad hoc temporis punctum *certiori* destituti sumus *cognitione*; ne civitatum quidem illarum, quae in humaniorum numero habentur, *accuratae observationes* exstant, nec unquam tales sunt in-

stitutae neque in Germania, Gallia [33]), Hispania, Italia, in iis provinciis, quae sunt orientis [34]), neque in America, quare multo magis certe desperandum, in accurata *superioris aetatis* incidere eiusmodi testimonia, ita ut indiciorum fieri posset comparatio necessaria. Quomodo denique in illis terris se res habeat, quarum eruditio adhuc in cunabulis versatur, facile suspicatu.

Sit igitur, ut huius aetatis sublimior eruditionis status in universum computatus prava quadam in generis valetudinem vi fuisse videatur, attamen hoc nonnisi leve tantum nostri incommodum nimis magni non est faciundum remediis viisque excogitatis ad sanandas illas mentis aberrationes diversissimis, quorum antea omnino erant homines ignari nec his ipsis diebus nostris barbarorum gentes sunt peritae. Delirorum domuum multitudine in dies accrescente eorumque commodis magis amplificatis vehementior fit accessus aegrotantium omni mundo morborum sanationem appetente, quibus fore ut medela afferatur, antea nemo unquam audebat sperare. Tali modo *aegrotorum numerus videtur adauctus* quod idem in aliis quoque arti medicae aegritudinibus recentiori temporo accidit incommodum. Nec magis ad finem illa quaestio perducta est, qua enucleare volunt eruditi, quibus maxime producantur aut laboribus aut aliis eiusmodi negotiis illae ingenii affectiones; nam experientiae et intentae et continuae suas partes praeripiendo observationi in huius quaestionis utilitatem valde vereor ne nihil proficiatur!

---

33) Moreau de Jonnés. Comptes rendues de l'Acad. des Scienc. 1843. t. XVII. p. 65.

34) A. Brierre de Boismont. Influence de la civilisation sur le developpement de la folie. Paris 1839. — Dufau. Traité de Statistique. Paris 1840. — Quetelet. Ueber den Menschen, übersetzt von Riecke 1838. — Mittermayer. Italienische Zustände 1844. — Moreau. Ann. med.-phychol. I. 1843.

Caput VI.

Multum vero ab est, ut in morbosa tantummodo mentis conditione hallucinationes nascantur, quum et somniis, et crapula, et sensuum vertigine aliisque eiusmodi affectionibus phantasmata procreari neminem fugiat; sed rebus his omnibus omissis hallucinationes in hominibus ingenio neutiquam afflictis saepius apparere constat. Exempla occurrunt satis multa velut notissimum illud de Nicolai perhibitum, plura de Bonnet [1]) et Paterson [2]), quibus accedunt visiones fanaticorum. Qui vero homini phantasmatis vexato eam ob causam adiudicare voluerit pravam mentis valetudinem, in eum nimiae temeritatis opprobrium cadere facile liquet. Magna enim exemplorum comprobatur multitudine, viris quibusque ingenii praestantia rerumque singulari vitae spectantium beatitatem fortuna excellentissimis diversissimamque ceterum mentis et animi rationem sequentibus, praesertim quum phantasia praediti sint calida et irritationis facilitate insigni saepissime visa supervenire antea descripta.

Ex grandi eiusmodi exemplorum farragine ante oculos tibi proponere sufficiat illum Socratis daemonem familiarem [3]),

---

1) Essai analytique sur l'âme.

2) Paterson, the Edinburgh medical and surgical Journal Nr. CLIV, 1843.

3) Plato, Xenophon. Lélut, Démon de Socrate. Paris 1836.

Bruti visionem ante pugnam Philippensem[4]), Iulianum imperatorem, qui nocte diem vitae supremam praecedenti genium animadvertisse sibi visus est[5]); Petri porro Amiensis phantasmata aliorumque, qui sacris interfuerunt expeditionibus, multorum[6]); accedunt notissima Ignatii Loyalensis simul et Lutheri visa, diversi suae aetatis studii moderatorum, praeterea Ioannae illius Arcensis[7]), Benvenutonis Cellini et aliorum alia. Suam ipsius animam conspexit van Helmont lucem vultu humano indutam.

Spinoza[8]) et Pascal[9]) hallucinationibus haud liberi; dialogum illum Mansone praesente Tasso habuit cum genio notissimum[10]); sui ipsius imaginem Goethe conspicatus est phantasmate, colore depictam ferrugineo nec alius naturae flores illi sunt ideales eiusdem menti informati. In velorum rugis Walter Scottio comparebat Byronis imago amici sui iamiam defuncti; pertinet huc Friderici Richterii[11]) caput puellae adhuc infantis per fenestras prospiciens; hallucinationes Andral proponit sui visus exemplum[12]), auditus Leuret[13]), et alii. Quo tandem iure omnes tantae celebritatis viros cum illo Seunig[14]) ingenio fuisse obtusos comprobare volueris, non video.

---

4) Plutarchus, Vita Bruti.

5) Ammianus Marcellinus, lib. XXV.

6) Michaud. Histoire de Croisades. ed. 6. vol. I.

7) Buchon, Analyse raisonnée de documents sur la Pucelle. Paris 1843. — Friedreich, allgemeine Diagnostik der psychischen Krankheiten. Würzburg 1832.

8) Spinoza, Epist. XXX. ad Pet. Balling.

9) Iam supra enarratum.

10) Vita Tassonis ed. Manso.

11) Jean Paul Museum, Blicke in die Traumwelt. Anmerk. z. §. 3.

12) Ejus, Spezielle Pathologie, übers. v. Unger 1837, t. III. p. 140.

13) Leuret, Fragmens psychologiques sur la folie. p. 135.

14) Dr. F. Seunig, Ueber Irrenanstalten, deren Begründung und Einrichtung. Wien 1844. p. 2.

Contemplatur eiusmodi spectra aut tranquillo animo sui conscio sanus nec aliter ea accipit nisi profecta e singulari sui natura (Nicolai, Pascal, Goethe etc.) aut tamen veras imagines esse putat; meditatio nempe nunc destituitur a praemissis ad recte iudicandum necessariis, cum impedimento sint superstitio, sive cogitandi segnitia, sive nimium miri studium (Luther, Ignatius Loyal. et qui ceteri sunt fanatici), nunc affectiones, quaecunque sunt, sive timor, sive ira, sive gaudium, quietam tollunt de rebus illis cogitationem, nunc denique phantasmatis pluribus coniunctis omni spoliatur, qui laborat, ad investigandum errorem primarium medela. Iam satis perspicue inde elucet, Aristotelem in libro illo, qui est de Problematis omnino non ut ita locus intelligatur voluisse quasi animo perturbatos viros excellentes designaverit. Dicit autem philosophus: „*Διὰ τί πάντες ὅσοι περιττοὶ γεγόνασιν ἄνδρες ἢ κατὰ φιλοσοφίαν ἢ πολιτικὴν ἢ ποίησιν ἢ τέχνας φαίνονται μελαγχολικοὶ ὄντες, καὶ οἱ μὲν οὕτως ὥςε καὶ λαμβάνεσθαι τοῖς ἀπὸ μελαίνης χολῆς ἀρρωστήμασιν, οἷον λέγεται τῶν τε ἡρωϊκῶν τὰ περὶ τὸν Ἡρακλέα. κ. τ. λ.* [15])."

Enim vero si negari non potest, viros miris animi facultatibus singulares amplificata cerebri irritatione phantasmatis facilius esse subiectos: ab altera parte nec hoc est omittendum, magna animi vi ac fortitudine veram eorum naturam atque rem facillime ab iis cognosci rectissimeque de ea iudicari.

---

15) Aristoteles „*περὶ τῶν προβλημάτων*," ed. Imm. Becker. Berolin. 1831. tom. II. p. 953.

Caput VIII.

Quanquam hallucinationes interdum alia complicatione nulla inveniuntur coniunctae, multo saepius tamen in animi observantur perturbationibus; mentis fere omnes alienationes comitantur, quasi ad intimam earum pertinentes naturam. Centum, qui sunt ingenio perculsi, dicit Esquirol, octoginta quidem praebent hallucinantes [1]). Ab ipsis semper veritas iis contribuitur affectionibus, quanquam interdum tamen praecipueque morbo adhuc ortura abnormales eas esse concedunt. Inter voces ab aegrotis eiusmodi cognitas et illas, quae exaudiantur normali organismi conditione nihil intercedere similitudinis permulti opinantur, quum bene sciat afflictus, se animo tantum nunc videre, nunc audire [2]); accidit quoque, ut remediis, inimicorum insidiis aut rebus aliis his similibus pravae illae visiones sibi excitari queruntur. Mirum videtur, quod ipsas phantasmatum internas optime descripserint causas aegroti, nec tamen veritate eas omnino esse destitutas unquam concedant; sunt, qui voces in capite resonare dicant [3]) vel qui ex regione epigastrica eas designent profectas.

Hypochondriaci saporis maxime se vexari phantasmatis moleste ferunt; res paene omnes mox aegrotanti evadunt fastidiosae, harmonia stridor ipsi videtur dissonus, homines

---

1) L. c. I. pag. 199.

2) ut apud Shakespeare Hamlet interroganti, Horatio quo loci spectrum videret „in animi culo“ respondet!

3) Leuret l. c. p. 162. ubi aegrotus dicit „C'est un travail qui se fait dans ma tête.“ —

ei invisi, ipse illis taedio, donec proprio sui odio coereptus aut in planam incidit mentis hebetudinem, aut mortem sibi sciscit voluntariam. Nascendis maxime favet phantasmatis meditatio in unam eandemque rem perpetuo conversa nec minus ingenii conditio nimiopere in perscrutationibus abscondita.

In *melancholicis* hallucinationes plurimae cognoscuntur conditionibus; omnino animi prae se ferunt doloribus vexati molestias. Conspicatur ad suam trucidationem apparatus aegrotans, tartari flammis se suspicatur circumdatum, voragines ante oculos cernit hisientes, spectra supplicium sibi referentia, voces exaudit calumniantes simul et irridentes. Creberrimae tamen et maxime variantes eius melancholiae generis existunt aberrationes quibus qui corripiuntur omnino suas in cogitationes abditi nec ullius fere externarum rerum conscientiae sunt participes: quae quidem animi conditio plerumque cognoscitur in illa aegritudine quam *melancholiam cum stupore* dicunt [4]). Cui qui sunt obnoxii, quaque prorsus cuiusvis rei destituti sunt perceptione, voces exaudit aegrotus ignominia sese afficientes, detrectantes, capitis condemnantes, spectra ante oculos cernit sibi obversantia, conspicit exequias, necessariorum cruciatus et a. n. Pari modo hallucinationes occurrunt in ceteris melancholiae generibus, quorum omnia ab singulorum natura singulari deprompta sunt momenta, velut illa quam dicunt melancholiam religiosam vexati plurimum spectant phantasmata ad religionem pertinentia, *calentura* et *nostalgia*, terras respiciunt paternas quarum capti sunt desiderio, *erotomania* denique in deliciis nimium habitos. Melancholici aperta delendi cupidine correpti, quod maxime in monomaniis sic dictis evenit implicitis plurimum hallucinationibus, ut verisimile occupantur, quibus intimae miseri perturbationes eversionisque cogitationes adhuc incer-

---

4) Baillarger: De l'état designé chez les aliénés sous le nom de Stupidité. (Ann. med. psych. No. 1. et 2. 1843.)

tae extrorsum, quasi extrinsecus natae, proiiciuntur eumque summa stimulant fortitudine ad exitiabiles suos furores. Percipit voces aut in sui ipsius aut aliorum necem se irritantes, sicut et saepius quoque numinis mandata visionibus accipere sibi videtur.

Velocitas qua in *maniacorum* capite cogitationes, recordationes, imagines volvuntur ac pelluntur, comparandi attentionemque tenendi difficultas necessario in hallucinationibus gignendis multum valeant opportet. Quarum vestigia apparere una cum aegritudinis initio, vel eam antecedere, comitari, simul cum ea evanescere, quin etiam morbo iam sublato pro suis partibus perdurare, et visus et auditus fallaciis plerumque additis haud dubium. Nonnunquam phantasmatis mania adaugetur, usitatissimum autem, quod vilioris fiant momenti, cum et ipsa plerumque celeritate psychicorum processuum interveniente et extruduntur atque corripiuntur, ita ut aegris attentionem in ea vertendi facultas sit denegata.

In *Vesania* hallucinationes adsunt principali aegrotorum affectioni respondentes; multo perniciosiores attamen earum affectus quam illi qui e mania proficiscuntur. Apud maniacos ut e priori demonstratione elucet, vix orta de memoria decedunt phantasmata, in vesanis vero remanentia quin alunt atque adaugent animi fallaciarum fortitudinem. Videntur, exemplo utar, Dei mandatores nuntios de coelo referentes, exaudiuntur iussa ad certos morbosum impellentia conatus et alia huiusmodi permulta. — Theomania quoque et erotomania quarum minoris ordinis esse errores affirmatur respiciunt ad tales fallacias quibus imprimis in committenda aut haec aut illa facta sese excitari persuasum habent afflicti.

In *Moria* eveniunt visa creberrime, delirium sustentantia, haud raro amplificantia. Saepius hallucinationes iucunditate quadam eximia laetantur morum maxime beatum, qui cum vocibus sibi resonitis vel colloquendo vel altercando longe eas capessit.

Quod ad communem perturbationem illam a Gallis „*Dé-*

mence“ nominatam, in his hallucinationum causae plures, at crediderís, occurrunt; haud enim perturbationis fortuitatis ac praecipitudinis cogitationum hominem occupantium sunt exsortes. Plurimae ceterum, sicuti in aliis quoque delirandi generibus et visus et auditus errores inveniuntur, qui etiam in illis, quibus adtribuitur „Démence avec paralysie générale“ miseris non absunt [5]).

Cognoscuntur praeterea phantasmata in deliriis acutis, in neurosibus, neuralgiis, catalepsia, epilepsia [6]), extasi [7]), hysteria [8]), chlorosi [9]), congestione cerebri [10]), meningitide et encephalitide [11]), typho, febri intermittenti [12]), magnetismi et sonnambulismi conditionibus [13]), pneumonia [14]), scorbut [15]) et aliis. —

5) Brierre de Boismont: l. c. p. 176. — Mém. de Baillarger l. c.

6) Morgagni: De sed et caus. morb. epist. XIV. 28.

7) Bayle l. c. pag. 45 et 46.

8) Macario: Mém. sur la paralysie hystérique (Ann. med. psych. Janv. 1844. pag. 63.

9) Brierre de Boismont l. c. pag. 202.

10) Broussais: Phlegmas. chron. II. pag. 421. sqq.

11) Parent-Duchâtelet et Martinet: Traité de l'arachnitis. Par. 1821. — Morgagni l. c. epist. LXII. 5.

12) Baillarger: De la folie dans les fièvres intermittentes (Ann. med. psych. Novemb. 1843.)

13) Brierre de Boismont l. c. pag. 251.

14) Prus l. c. pag. 152.

15) Fodéré l. c. tom. I. pag. 341.

Caput IX.

Si quis quaesierit, uterum in phantasmatum nascendorum actu solae mentis vires an simul corporis sensus agant, recte monebis eorum naturam ubique neutiquam esse eandem, sed valde potius variantem. Eorum tantummodo, qui re vera animo sunt afflicti, ubi consideraverimus mentis fallacias, ut nonnisi animo hallucinationes attribuamus, facile permoveri poterimus. Collatis autem iis observationibus quae sunt institutae in hominibus animo minime perculsis, sed nihilominus hallucinationibus vexatis, velut Nicolai illa phantasmata supra a F. W. enarrata, vix ambigemus statuere, suas etiam sensibus agendi partes adesse. Cui sententiae insuper illa conspirant, quae a I. Müller, Burdach et aliis hac de re proferuntur.

Neque magis sunt cogitationes memoria provocatae atque externis rebus accommodatae, quum saepius eveniat, ut nulla prorsus ad tempus praeteritum quaeque per id acciderunt relatione utantur. Argumentum ab eodem rursus petere licet Nicolai; idem probant ipsa ab animi perturbationibus restitutorum aperta testimonia, velut Esquirolio aegrotus quondam affirmavit non minus accurate se oculis vidisse et exaudisse auribus quam ipsum conspicere tunc praesentem et audire loquentem se sciret. Sed aegritudinis soli contribuendum illud esse naturae aliquis suspicari possit, quod vera ipsi habeant sua phantasmata aegrotantes eaque oculis et conspicere se existiment et percipere imagines auribus; sed afflictorum rem describendi rationem non ita accipiendam

esse eorum effata valde admonent, immo in universum fidem iis derogare nihil est quod cogat. Respondebat quondam, cum Foville aegroto persuadere conaretur, nihil suis veri in esse visis, ita; „Sed tum in dubium me, quaecunque tu mihi pronuntias oportet vocare, adeo id quod nunc praesentem te conspicio et dicentem exaudio“ [1]); opponunt qui eo morbo impliciti sunt, nonnisi visu, tactu et qui alii sunt sensus, res esse animadvertendas; atque auditus qui laborant hallucinationibus non modo voces se percipere auribus dicunt, sed etiam cuius sint fortitudinis accurate indicant, nec desunt, qui una tantum aure tinnitum sonuisse habeant persuasum. Quam denique oculorum in terram demissio et luminis immutatio in hallucinationes vim exercet nascendas, tam haec quam res ab hominibus ita affectis peractae, unde fidem de veritate phantasmatum suorum ipsis firmam stare liquet, comprobare satis videntur, sensus in iis minime esse segnes et expertes.

Longe alia ratione phantasmata aegroti aperiunt alii; nunc *cogitationibus* ad se homines loqui opinantur, nunc aspiciendo, nunc magnetismo; mentis auribus percipiunt sermones, cum ipsis animis animam suam colloquia inire putant; audiunt voces tantummodo internas easque in animo natas nec ad auditum pervenientes.

Optime saepius reminiscimur colloquii per somnium habiti atque expergiscendo repente finiti, quamvis vocis illius, quocum locuti sumus, nulla restet memoria; in somnio autem magis vivido hominisque irritatione admodum adaucta et soni et fortitudinis quaeque cetera voci adhaerent attributa recordatio superesse potest. Hoc ubi evenerit, phantasma existit sine dubio adiuvantibus sensibus progenitum eamque ob causam perfectum, quod et animae est et sensuum: in priori casu ad animam tantummodo pertinet visum ideoque mancum est.

---

1) Foville, Art.: Alienation mentale in Dictionnaire de médecine et de Chirurgie pratiques. tome I. pag. 489.

Sunt etiam qui hallucinationibus utriusque generis laborent, sed alias discernere ab aliis valeant. Excipiebat exempli gratia aegrotus per longius tempus voces e regione epigastrica provenientes, quarum tamen magna esset diversitas ab iis quas auribus homines acciperent, et ab his facile discerni possent; subito postea Dei vocem audiebat aegrotus a disco quodam lucido resonantem, quae hallucinatio perdurabat horae dimidium et quadrantem, deinde eandem rursus vocem e regione epigastrica percepit, sed hanc ab illa omnino differre professus est [2]).

Huc etiam pertinent illae voces arcanae, quibus ad facinora sese impelli saepius asserunt aegroti; verba, inquiunt, strepitu omni exuta fuisse, saepiusque „verbi" significationem minime congruam esse addunt. Inde accidit ut novum ceteris adiungere vellent sensum nonnulli, qui harum rerum peritos se esse crederent.

Hallucinationes igitur distinguendae sunt *perfectae*, quae ad animum simul et sensus pertinent, in quibus procreandis et animus et sensus agunt, et *imperfectae*, quae in animum tantum cadunt, vi sensuum quacunque omissa. Saepe tamen difficile videatur id discrimen agnoscere et tenere, quia plurimi aegroti plerumque et mente carent et iudicio, quo opus est ad illas quas perceperunt affectiones accurate exponendas, nec raro utroque phantasmatum genere laborant, eaque miscent atque permutant.

---

2) Lelut. Démon de Socrate. Paris 1836.

Vita.

Ego, Franciscus Damianus Carolus Tobias, natus Treviris die 6 mens. Novembr. anni 1824, patrem carissimum Michaelem, medicinae Doctorem et rei medicae consiliarium regium, veneror, matrem Catharinam, e gente Cardon morte praematura ereptam mihi lugeo. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum rudimentis a viro reverendo Hermes, nunc parocho Turniacensi, imbutus, scholis publicis Gymnasii Trevirensis, quod auspiciis cl. Wyttenbachii et Loersii florebat, per octo annos interfui. Maturitatis testimonio instructus tempore autumnali anni 1841 ad litterarum universitatem Fridericiam Guilelmiam Berolinensem me contuli, ibique a Rectore magnifico Dieterici inter numerum civium academicorum receptus apud cl. Iuengken ordinis medicorum tunc decanum nomen dedi.

Ubi cum annum et dimidium medicinae studiis operam dedissem, universitatem Ruperto-Carolinam petii ibique per unum studiorum curriculum commoratus sum. Deinde per anni spatium Treviris patre optimo et viris duobus rerum naturalium peritissimis, quibus nomen Steininger et Schnur, privatis praeceptoribus usus, hanc almam Fridericiam Guilelmiam Rhenanam adii et a cl. Pluecker, Rectore tum Magnifico inter cives academicos receptus nomen professus sum apud cl. Naumann.

Scholae, quibus his annis et locis ad artem medendi incubui, sunt: Berolini logicam me docuit cl. Trendelenburg, Psychologiam beatus H. Steffens, Physicen cl. Dove, Chemiam experimentalem et organicam et anorgani-

cam cl. Mitscherlich, Mineralogiam cl. Weiss, Geognosiam cl. G. Rose, Botanicen cl. Kunth, Osteologiam cl. Schlemm, Anatomiam generalem et specialem cl. I. Müller; in arte cadavera rite secandi duces mihi fuerunt cl. I. Müller et cl. Schlemm.

Heidelbergae Zoologiae praeceptis me instruxit cl. Bronn, Anatomiae cl. Tiedemann, Anatomiae comparatae et Physiologiae cl. Bischoff.

Bonnae Physiologiam mihi praeivit cl. Budge, Materiam medicam cl. Albers, Medicinam forensem cl. E. Bischoff, Politiam medicam cl. Harless, Doctrinam de fracturis et luxationibus cl. Brach, Therapiam generalem et specialem, Pathologiam generalem et specialem cl. Naumann, Anthropologiam, Pathologiam generalem et specialem, Therapiam generalem et specialem cl. Nasse, Doctrinam operationum chirurgicarum et instrumentorum chirurgicorum, de fasciis applicandis, anatomiam chirurgicam cl. Wutzer, Chirurgiam, artem obstetriciam, doctrinam de instrumentis obstetriciis et de morbis uteri cl. Kilian. In exercitationibus practicis duces mihi fuerunt, in arte cadavera secandi cl. Mayer et cl. Weber, in clinico propaedeutico et therapeutico medico cl. Nasse, in operationibus in cadavere instituendis, in clinico chirurgico et ophthalmiatrico cl. Wutzer, in exercitationibus obstetriciis in phantomate faciendis et in clinico obstetricio cl. Kilian.

Quibus viris omnibus, qui optime de me meriti sunt, meque singularis benevolentiae plurimis documentis ad artem salutarem excitaverunt, gratiam habeo semperque habebo, eosque iucunda docti commercii recordatione per totum vitae tempus prosequi non desinam.

Theses.

1. *Morbi animi cultu generis humani non aucti sunt.*
2. *Hunteri methodus aneurysma operatione tollendi ceteris praestantior.*
3. *Non est lues gonorrhoica.*
4. *Non est impetus sive instinctus incendium parandi (pyromania).*
5. *Partum arte praematurum in primiparis instituere licet.*
6. *Inhalationes aetheris in gravioribus chirurgicis operationibus reiiciendae.*